

**De nutritione hominis, disputatio prima / Quam praeside Hermanno Conringio ... examinandam proponit ad diem Decembr. Hieronymus Iordanus.**

**Contributors**

Conring, Hermann, 1606-1681.  
Jordan, Hieronymus, active 1639-1650.  
Helmstedt 1639.

**Publication/Creation**

Helmaestadii : Typis haeredum Jacobi Lucii, 1639.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/c3z32bfe>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

De  
NUTRITIONE  
HOMINIS,  
DISPUTATIO PRIMA

Quam  
PRAESIDE  
HERMANNO CON-  
RINGIO PHILOS. ET  
MED. D. AC P.P.

*Examinandam proponit*  
Ad diem Decembr.

HIERONYMVS IORDANVS  
BRVNSVICENSIS.

*In Auditorio Medicorum.*



HELM AESTADI,  
Typis haeredum JACOBI LVCII,  
Anno cl l o c X X X I X.



VIRIS

*Virtute, Eruditione & integritate in florentissimâ HAMBURGENS. Civitate præstantibus,*

**DN. HIERONYMO FRISIO, J. U. L.**

**DN. M. HENRICO VAGETIO, Human. Lit. Professori.**

**DN. BENEDICTO Peterssen / Civi primario.**

*Dominis, factoribus ac Præceptori quondam suo ætatem honorando,*

**Disputationem hanc inscribit & offert**

**HIERONYMVS IORDANVS  
Brunsvic.**



HERMANNI CONRINGII

De

NVTRITIONE HO-  
MINIS.

LIBRI DVO.

## INTRODVCTIO.

**Q**UANTVAM non homini solum sed re-  
bus naturalibus plurimis commune sit  
nutriri, mihi tamen de solo homine nunc  
agere est institutum, quomodo ille ali-  
mentum suum accipiat, quomodo conco-  
quat ac denique in substantiam sui corporis transmu-  
tet. Etenim quum in Medicæ artis vsum hæc scriba-  
mus, alienum à proposito fuerit ea nunc attingere quæ  
nihil commodi artem facturo sint allatura. Scilicet  
τὰ οἰκεία τῶν τεχνῶν ἐκάστης θεωρήματα τὸ τέλος οὐρίζει καὶ κείναις  
finis determinat ac iudicat quænam sint pro-  
priæ cuiusque artis speculationes, vt rectè scribit  
ad Thrasibulum c. 28 Galenus. Nec aliter, aut a-  
liam ob causam in hominis naturam inquirat medicus,  
quàm vt eo rectius possit artem suam institueret. Igi-

A

tur

tur ea sanè quæ ad nutritionis quidem argumentum hominem tamen non pertinent siquidem tractet, in peregrino utique argumento occupatus sit. Quin imò multa ad hominis nutritionem pertinent, quæ tamen ipsa à medici studijs & disciplina sunt aliena. De multis enim multa possunt disputari; quæ hoc modo sese habeant an secus artis medicæ nihil prorsùs interest. Quapropter ut aliàs ita & heïc licet interdum medico in inveteratos receptosque errores quasi consentire, si illi haud noceant arti, eorum autem aperta improbatio turbet imperitos aut fastidium moveat egrotantibus. Hinc autem manifestum cui vis est; à nobis quibus animus est de hominis solummodò nutritione agere, primum minimè integram de nutritione scientiam, deinde nec demonstrationes exquisitas esse exigendas. Integram certè scientiam non docebimus, qui partem ejus tantùm tractandam nobis sumimus. Demonstrationes verò perfectæ *καθόλου* deque adequato subjecto par est instituantur. Ast nostræ nequaquam eiusmodi esse possunt. Nam quæ de homine sumus demonstraturi non illi soli conveniunt, sed animalibus aut omnibus aut plerisque certè multis etiam aliis. Sunt autem ejus generis tantùm non omnes demonstrationes quas habet ars medica. Quod jam olim rectè observaverat Averroes, & alibi pluribus docebitur. Itaque nec vitio nobis verti debet quod demonstramus

nunc non ita vti philosophia exigit, sed ad leges medicæ artis. Certè id qui reprehendit non benè est institutus ea quæ ad docendi discendique prudentiam attinent. Παιδείῳ δὲ ἄλλοις γὰρ ἴστω, (vni eleganter Aristoteles) ἴστω ἅπασαν τὴν ἀκρίβειαν ἐπιζητῶν καὶ ἕκαστον γένος ἐφ' ὅσον ἢ ἐπεάγματοι φύσιν ἴστω (ἔχει). At qui τὴν ἀκρίβειαν aliam non patitur argumentum nostrum. Quo ipso tamen nolumus excusationem petere dialecticis ineptiis aut longis declamationibus, quas nunc permulti pro demonstrationibus venditant. Etsi enim minùs sint exactæ medicorum demonstrationes: non tamen nisi vno illo, quod non habeant τὴν ἀκρίβειαν περὶ τὸν, illis demonstrationibus quas admittit naturalis philosophia, inferiores esse debent. Si enim ἄλλα absint requisita, meræ nugæ sunt & collectiones ineptæ, non scientiã sed errorem parientes.

Hæc verò quum ita sese habeant, nemo non videt & longè ampliorem & perfectiorem & elegantio rem denique esse eam de Nutritione doctrinam quam Naturalis philosophia pollicetur, hac quam nos instituimus. Principiò enim quum nutritio omnis sit continuata quædam substantiæ generatio, non eius tantùm quæ animata est sed & ejus quæ anima caret, quod alibi contrà multos probatur; docendum vti que de illa est aliquid non minus vniuersaliter quàm de substantiali generatione. Porro quum instrumentarii corporis nutritio singulare quid habeat à nutritione similitium

corporum, in genere vtiq̄ue etiam differendum fuerit, quæ sit illa vis ità mirum in modum nutriens; quam quoniam animæ vegetatiuæ nomine appellamus vulgò, animæ illa siue species siue vis quæ qualisve sit est declarandum. Animata porro corpora non vno modo nutriuntur. aliter longè certè plantæ aliter animalia. Illæ enim rudiore quadam ratione: hæc verò multorum admirabiliumque instrumentorum beneficio & parant sibi metipsis alimentum & in suam substantiam conuertunt. Itaque seorsim de Plantarum nutritione agendum: quomodo illa in plantis omnibus, quomodo in singulis plantarum speciebus, in arboribus, in fruticibus, in herbis omnis generis, vsque ad species specialissimas quas dicimus, exerceatur. Seorsim itidem agendum de Animalium nutritione. quæ enim toto differunt genere, separatum etiam prorsus laborem exigunt. Differunt verò ita nutritio animalium plantarumque. Est autem in animalibus quoque ferè infinita varietas siue victum spectes externum, siue eam quæ intus in corporibus fit alimenti coctionem, siue denique ipsam illam alimenti vltimam conuersionem. Vndè & infinita ferè est varietas illarum partium quæ nutritionis officio sunt destinatæ. Igitur exponendum, quâ in re conueniant, in quâ differant animalia, per genera & species ad omnium vsque infimas. Nimirum quomodo alantur gressilia, quomodo aquatilia, quomodo volatilia

latilia; siue sint exsanguia siue sanguinea. Nec quomodo tantum alantur, sed & quare hoc non alio modo. Quod argumentum quam late pateat quamque sit explicatu difficile, & nihilominus elegans per se liquet.

Ista verò cum sit doctrinæ de Nutritione eius quam Naturalis philosophia non autem Ars medica, profitetur, conditio, profectò oppidò falluntur illi & fallunt alios, qui vbi fortè in communi aliquid de nutritione docuerunt, satis se fecisse philosophiæ desiderio opinantur. Quin verò per omnis ordinis scriptores euntibus fatendum est, non tantum neminem unum quæ huc pertinent omnia persequutum ea via quæ par erat, sed nonnulla, inprimis quæ animalia attinent, inculta, prorsus nunc iacere. Vnus Aristoteles, vti ingenio fuit maximo & incredibili diligentia, videtur sanè omnia aggressus; cæterum id quod conatus expleverit nec ne haud temerè dixerim. certè multa jam desiderantur in superstitionibus eius voluminibus. Enim verò communissimam nutritionis naturam, libro primo de ortu ac interitu; animæ nutrientis vim libro primo de anima; partes animalium nutritioni dicatas, cum libris prioribus Historiæ tum passim opere de partibus; nutritionem denique quæ in vtero aut ovis fit in libris de generatione animalium exposuit. Historica etiam nonnulla de animalium victu octavo Historiæ libro narravit. Philosophiam autem ipsam cum de victu ac



nutritione animalium externa illa ac potissima, tum  
 de nutritione plantarum, Aristotelis industria elabo-  
 ratam, nostra certè tempora non acceperunt. De  
 Plantis res liquida est. Quod enim opus de plantis A-  
 ristotelis hodiè titulo circumfertur, id nomen mentiri  
 soli imperiti ignorant. Tantùm quæ animalia attinent  
 libris de generatione animalium comprehendi nonnulli  
 autumant. Verum enim vero quantum hi fallantur,  
 hinc patet. Primum enim naturalis utique scientiæ  
 munus est causam rationemque omnis victus, omnis a-  
 limenti coctionis quæ in corpore fit, excretionumque  
 naturalium exponere. At profectò alienum id est  
 ab argumento de generatione animalium. Etsi enim  
 isthuc pertineat ea quæ ante foetus exclusionem seu par-  
 tum fit nutritio; quæ tamen postea demum instituitur  
 eò non pertinet: & tamen externa illa nutritio longè  
 potior est isthac altera. Quare peccasset Aristoteles  
 contrà ordinis leges, siquidem vno eodemque loco v-  
 trumque agere voluisset. Deindè, ubi quæso est in no-  
 stro illo opere de animalium generatione, quidquam quæ  
 victus illa maxima diversitas ab ipsomet Aristotele  
 peregre regiè octavo historiæ libro enarrata, per suas cau-  
 sas doceatur? quod exigit philosophia. Vbinam legi-  
 tur quidquam, de omni quæ in animantibus fit coctio-  
 ne? Porrò non de externa sed quæ ante partum est nu-  
 tritione actum sibi esse opere de generatione animalium  
 ipseme

ipſemet Aristoteles librum quartum finiens hisce verbis  
 satis ostendit. Περὶ μὲν ἔν τ' ἔσθην τροφῆς τ' ζώων, καὶ τ'  
 δύρεζε γενέσεως εἰρηται καὶ χωρὶς περὶ ἐκάστων κοινῇ περὶ πάντων.  
 Ulterius ipse non vno loco pollicetur sese in opere de  
 Nutritione nonnulla expositurum, quorum in libris  
 de Generatione animalium ne quidem verbulo meminit.  
 Secundo de partibus animal. cap. 3. cum de sanguinis  
 natura differuisset, addit: sed quonam modo mem-  
 bra ex sanguine sua capiant incrementa, atq; et-  
 iam περὶ τροφῆς ὅλως, ἐν τοῖς περὶ γενέσεως καὶ ἐτέροις οἰκειότερον  
 δεδιελθεῖν. Sane differitur nonnihil de generatione  
 partium ex sanguine libro secundo de generatione ani-  
 malium: adτ περὶ τροφῆς ὅλως nihil ibi. Scilicet quod il-  
 lud exponere alteri alicui tractationi magis domesti-  
 cum sit, huic verò minimè conueniat. Eodem de partib.  
 libro cap. 7. scribit: τὰ μὲν ἔν τ' τροφῆς περιτώματα περὶ τῶν  
 τ' τροφῆς σκέψιν καὶ θεωρίαν οἰκείως ἔχει τὰς λόγους· τίσι τε τῶν  
 ζώων ὑπάρχει ἢ ἀπὸ τίνων αἰθίας. τὰ δ' περὶ σπέρματ' ἢ γάλακτ'  
 ἐν τοῖς περὶ γενέσεως. Distinxit ergò Aristoteles doctrinam  
 de nutritione ab ea quæ est de generatione. Neque in  
 nostro de generatione opere quid exstat de ciborum ex-  
 crementis, quibusnam illa animalibus nascantur &  
 quas ob causas. Tertio de partibus cap. 14. vbi dixisset;  
 partem aliam cibum ingestum complecti, aliam  
 excrementum materiamque supervacua capere  
 debere: quarum actionum ut tempus di-

versum est, sic loca etiam diversa necessario haberi; subnectit: ἀλλὰ ὅτι μὲν τῶν ἐν τοῖς ὅτι γένεσιν καὶ τροφῶν διακρίσεως ἔστιν ὁ διωρισμὸς. Ad in libris de generatione attinguntur quidem hæc, accuratè tamen exponuntur minimè. Alibi ergo, ubi de Nutritione differendi proprius locus est. Quarto de Partibus cap. 4. Quemadmodum, inquit, animalia capiant alimentum, & quonam pacto per venas ex alimento ingesto subeat eas partes quod in venas digeritur, ἐν τοῖς ὅτι τὸ γένεσιν τὸ ζῶον λεχθήσεσθαι καὶ τροφῶν. Sanè quomodo in partes omnes corporis sanguis diditur & in opere de animalium Generatione ex parte docetur: quomodo autem animalia capiant alimentum quovæ modo per venas mesenterij digestio fiat, ne quidem leviter ibi exponitur. In opere verò de Nutritione expeditum esse illud de translatione alimenti concocti per lactes in venas atque ad cor testatur ipsemet libro de Somno cap. 3. adeoque ex illo opere ibi transcribit. Τῆς μὲν ἂν ἴσχεται τροφῆς εἰσόδου εἰς τὰς δεξιὰς τῶν γενετῶν ἢ ἀναθυμιάσεις εἰς τὰς φλέβας, ἐκεί τῃ μὲν βάλαντα σατέξαιμα- τῶν καὶ ποσῶν ἔστι τὸ δεξιῶν εἶρεσθαι, inquit, ὅτι τῶν ἐν τοῖς ὅτι τροφῆς. νῦν δὲ ληπέον ὑπὲρ αὐτῶν τὰ τεχάριον, ὅπως τὰς δεξιὰς τὴν κινήσεως θεωρήσωμεν. Vnde & hoc discimus, non promissum tantummodo ab Aristotele opus aliquod de Nutritione, verum etiam confectum. Quid, quod in ipso opere de Generatione animalium disertis ver-  
bis

bis accuratior de alimento doctrina in alium locum relegetur? Quum enim secundo ejus voluminis libro docuisset ossa nasci ex materia quadam excrementitia, inde etiam postea ali & augeri, duplexque esse alimentum aliud nutrimenti aliud augmenti gratia; scribit: τῶν ὀστέων ὕστερον διόριστον μάλλον. Ibidem Quam ob causam ossa non semper capiant incrementum, postea, inquit, declarandum est. De quibus nihil in libris illis legas: alibi ergo. Disertissimus locus est libro 5 ac ultimo de generatione animal. cap. 4. adeoque ferè sub finem operis: quem ipsi vertem<sup>9</sup>, quod Theodori interpretatio obscurior sit. De alimento autem quamcunque corporis partem subeunte intelligendum est, illud calore proprio concoqui: qui si agere nequeat depravari alitionem aut sequi repletionem aut morbum. sed de ejusmodi causâ accuratius postea dicendum ἐν τοῖς περὶ αὐξήσεως καὶ τροφῆς. Doctrinam igitur de Nutritione ab illa quæ de generatione agit, non tantum debere sejungi, verum etiam ab Aristotele id esse observatum, ex his quæ attulimus in medium, sole clarius, nisi fallor, manifestum est. Per venerit ne verò ad posteros quoque ille Aristotelis labor an statim interciderit, haud temerè affirmaverim. Sanè Julius Caesar Scaliger excellenti vir eruditione & judicio acerrimo, in animadversionibus illis quas ad libros de Plantis Aristoteli vulgò

*adscriptos exaravit, testatur, ex Arabico versum v-*  
*num nos habere Aristotelis librum*  $\omega\epsilon\tau\epsilon\sigma\phi\eta\varsigma$ , *unde Ga-*  
*lenus optimas quasq; sententias transtulit in suos. Cæ-*  
*terum mihi quidem hætenus videre illum non contigit:*  
*Vereor etiam vt sit genuinus. Namque non me-*  
*minit ejus vel Avicenna vel Averroes, vel Arabum*  
*scriptorum alius. Nec vno libello potuit pro dignitate*  
*tota animalium nutritio expediri; quæ non minùs ferè*  
*patet latè quam generatio. Tum verò Aristotelica*  
*de nutritione hominis aut animalium sanguine prædi-*  
*torum sententiæ multum in plerisq; abeunt ab opinionibus*  
*Galenii, vt ex sequentibus erit manifestum. Ejus-*  
*dem itaque notæ esse hunc librum cum ijs de plantis, iti-*  
*dem de Arabico Latinè versis, fortè verosimilius est.*  
*Certè Græcum aliquod opus Aristotelis hoc argumen-*  
*to Europa, pars orbis eruditior, hodiè non habet. Nec est*  
*qui memoret in Asia delitescere: in tanta Asiaticarum*  
*rerum peritiâ. Vt perijisse nunc necessum sit, si modò*  
*vnquam in posterorum devenit manus. Laërtius in*  
*suo indice librorum Aristotelicorum huius non meminit.*  
*Sed ille justo negligentior fuit in Aristotelicis. Marcus*  
*Tullius tamen quinto de finibus libro: persequutus*  
*est, ait, Aristoteles animantium omnium ortus,*  
*victus, figuras. Apulejus etiam in Floridis, Apologia 1:*  
*Legat veterum philosophorum monumenta,*  
*tandem ut intelligat non me primùm hæc re-*  
quisi-

quisivisse, sed jam pridem majores meos, Aristotelem dico & Theophrastum, & Eudemum & Lyconem, cæterosque Platonis minores. qui plurimos libros de genitu animalium, deque victu, deque particulis, deque omni differentiâ reliquerunt. Sed ex Apuleij verbis non est colligere ab Aristotelenè aliquid de victu sit scriptum an ab alijs illis. Quin imò nihil ejus Apulejo visum, videntur quæ sequuntur verba ostendere: Legisti profecto, Maxime, Aristotelis *περὶ ζώων γενέσεως*, *περὶ ζώων ἀνατομῆς*, *περὶ ζώων ἰσότητος* multijuga volumina, prætereà problemata innumera ejusdem. Opus certè *περὶ τροφῆς* non omisisset si fuisset & illud æquè cognitum. Cicero quoque fortè non ipsum de victu opus legerat sed ejus titulum, Andronici testimonio: ex cujus scripto de Aristotelicis libris & disciplina omnem illum Pisonis sermonem descriptum esse, haud sine causa suspicatur Octavianus Ferrarius. Apud alios porrò sive Græcos sive Latinos veteres, ne Galeno quidem ipso excepto, altum de ejusmodi labore Aristotelico silentium est. Tantùm Græcus interpres libri de motu animalium quod decimo capite dicitur: Vtrum semper idem sit spiritus, an semper diversus efficiatur, alius est sermo: scribit ad librum de alimento pertinere. Sed neque hoc est asserere quod liber ille exstet, sed potiùs justum argumenti locum ostendere.

Porro nec id satis constat, an quis veterum Aristotelis sectatorum materiam hanc tradere aggressus sit. Scripserunt enim multi quidem, magistri exemplo, de omni animantium natura: Theophrastus, Strato, Eudemus, Clearchus: sed neque Laërtius in recensione scriptorum Theophrasti ac Stratonis, neque alius, quod sciam, quisquã in sine aliquod de nutritione volumen ab his viris pfectũ memorat. Post illos statim defecisse gloriam Peripateticæ disciplinæ notum est. Itaque nemo sive Græcorum sive Arabum, quod ab historia adeoque experientia naturalium rerum destituerentur, vel conatus huc attulit: quin imò in plerisque neglecto Aristotele Galenum, sola eius ducti auctoritate, sunt secuti. Quod profectò haud decet philosophum hominem cui experientia ac ratio principium scientiæ esse debet, autoritas ornamentum aut quasi superpondium. Inter Latinos quoque sequioris ætatis scriptores non nisi unus Albertus Magnus studium huc contulit. Verùm ille omnium animantium victum ne attigit quidem, de homine quoque pleraquã omisit; in aliis ab Aristotelis verã philosophandi ratione itidem sæpè discedit. Extrã verò Peripatum alia philosophorum schola quidnam operæ pretij fecerit, quæ totam illam de animantibus contemplationem tantum non prorsus neglexit? Ceterum & post renatas literas humaniores, etsi multa sint iterum pristinam in lucem revocata, multa etiam

noviter inventa, nemo tamen prout philosophia exigat operam huic argumento haecenus navavit. Unus idipsum instituit vir inter paucos memorandus Franciscus Bonamicus, quinque libris de Alimento conscriptis, omnigenâ sanè & accuratâ eruditione longè refertissimis. Ast primò de vno ferè homine differit: de aliorum verò animantium sive exsanguium sive sanguine praedictorum victu & alitione nihil quidquam agit. Deinde multa negligit quæ ad hominis nutritionem omninò pertinent: multa contrà admiscet docta quidem & elegantia attamen ab isthoc loco aliena. Quorum nihil in philosophico quodam & acroamatico scripto temerè committendum est. Aristoteles profectò commisit nunquam.

Ex quibus apparet hoc quidem loco maxcam esse philosophorum doctrinam. Ut fieri solet plerumque ubi ab Aristotele destituimur. Itaque palma in medio adhuc posita est, si qui hoc in stadio se velint exercere. Accipere autem non parùm in eum finem adjumentiam tum licet ex ipso Aristotele: ut qui in historico opere enarra verit multa, cum de partibus omnis generis animalium nutritioni inservientibus, tum de externa illa victus ratione. His enim si nonnulla, quæ postera ætas, in primis verò Anatomicorum nostrorum industria observavit, addantur, accedatq; diligens rursus eorum quæ de victu animalium in sensus incurrunt, in-



quisitio: parùm omninò in nutritionis historiã defiderabitur. Et tamen historia exhibet nobis principia ipsius philosophiæ atque scientiæ. Non minus autem petere multa licet ex Aristotele eorum quæ ad scientiam ipsam faciunt. Quæ enim opere de partibus, de usu partium liquidarum ac solidarum ad nutritionem facientium: in libris item de generatione, de nutritione isthac internâ, differuntur: illa hominem non stupidum facile manudent ad vberiore penitioremq; scientiam comparandam. Non stupidum autem appello, qui & ingenij dotibus & demonstrandi peritiã in Aristotelis æmulationem euectus est. Sine enim his alis, vti ita loquar, hic volare ἀδύνατον est. Debetur autem (vt etiam hoc addam) huic doctrinæ dubio procul locus non multò post doctrinam de generatione: partim quoniam nutritio est continuata quædam generatio, partim verò quoniam cum ipsa generatione occulta quædam in utero, & ovis & vium ac piscium, adeoque prima omnino nutritio conjungitur. Id quod & ab Aristotele ipsomet fortè fuit observatum. Neque enim alia temere causa potest reddi, quare in verbis supra citatis adeo frequenter nutritionis generationisq; doctrinæ vno loco fiat mentio.

Cæterum vt philosophica isthac ampla ac lata de nutritione doctrina inculta adeo est hodiè: ita contra omni semper tempore quæ hominem attinent haud pauciatti-

ci attigerunt. Namque & medici id coacti sunt facere: quod id necessitate quadam artis scopus exigat: & philosophi, aut si qui alij sapientiam professi, turpe crediderunt ignorare illud quo homo vitam suam tuetur. Quare certatim videntur huic doctrinae incubuisse, & hi & illi. Non idem tamen omnes senserunt, sed i verunt in sententias adversissimas; nec unâ eademque ratione doctrinam hanc aggressi sunt. Antiquissima eorum quae hoc argumentum tangunt, ac nunc superant monumenta, Hippocrati tribuuntur. Nec tamen unus aliquis integer liber in illa materia occupatur: tantum passim sparguntur multa quae hoc faciant. Constat verò & aliàs alibiq; latius demonstrabitur, illa quae uno Hippocratis nomine circumferuntur, nequaquam unius hominis quin ne unius quidem scholae esse, sed à diversissimis profecta prae vetustate & similitudine quadam in unius Hippocratis nomen coaluisse. Certè quae de nutritione in ijs leguntur, variorum & quidem adversantium sibi mutuò scriptorum esse, una illa insignis opinionum quam de una eademque re observare est, multitudo atque diversitas demonstraverit. Quapropter neque tempus frustra teremus, neque ingenium fatigabimus, multorum more, in conciliandis illis adversissimis sententijs. Quum tamen & vetustate sua, & Hippocratico nomine, haud parvam mereantur auctoritatem; excutiendae liberè & examinandae sunt.

Saltim

Saltim ne auctoritate sua errores pariant imperitioriq;  
 lectori faciant fucum. Postilla superant etiam non-  
 nulla de hominis nutritione in Platonis Timæo. Nam  
 quod Timæo ipsi adscribitur, itidem, meo quidem judi-  
 cio, mentitur titulum, atque potius de Platonis Timæo  
 transcriptum est: quapropter à nobis ne memorabitur  
 quidem. Sed quæ in Platone ipso exstant, illa etsi pro-  
 ferantur sine vlla probatione, quâ sine nihil temere est  
 credendum, adeoque possint videri contemnenda, attamen  
 & viri existimatio & quod Galenus noster Platonis  
 sectator voluerit videri, postulant si nihil aliud cer-  
 tè examen accuratius. Turpe scil. est maximorum sen-  
 tentias hominum supercilioso quodam contemptu præ-  
 terire. Ex Aristotele plura & magis sibi constantia  
 datur petere. Licet enim ejus opus de Nutritione  
 desideretur; quæ tamen de partibus animalium perfe-  
 ctiorum ad nutritionem facientium scribit cum in hi-  
 storiâ tam in opere de partibus, quæ item differit de  
 nutritione animalium eorundem in vtero secundo &  
 quarto libro de generatione; illa omnia mirificè illu-  
 strant hominis naturam: quippe quum homo in perfe-  
 ctissimorum animalium numero sit, atque à reliquis, ra-  
 tione quidem nutritionis, parùm differat. Accedit  
 quod Aristotelicæ sententiæ multum verisimilitudinis  
 polliceantur, partim ob exquisitissimum viri judicium  
 nemini non doctiori laudatum, partim propter magnam

omnium animalium experientiam. Quâ cum multi de-  
 stituti fuerint, qui de homine scribere sunt aggressi, ne  
 quidem de vno homine potuerunt, prout par erat, com-  
 mentari. Aristotelis ævo proximi ex Medicis Praxa-  
 goras cum primis huiusq; discipulus Herophilus nec non  
 Erasistratus, quiq; illos ætate demùm Pompeij secutus  
 est Asclepiades, & hoc quoque multò junior Athenæus  
 Attalensis, in hoc argumento ita fuerunt occupati, vt  
 neque cum maioribus neque cum posteris neque demum  
 inter sese consenserint. Cum autem scripta illorum  
 omnia interciderint, nudas tantùm sententias atque  
 opiniones Galenus & alij nobis conseruarunt. Quæ ho-  
 diè quidem paucos defensores habent: merentur tamen  
 sub liberum examen etiamnum vocari, cùm veritatis  
 studio isthuc exigente, tum ob insignem eorum auctori-  
 tatem quâ olim in scholis medicis floruerunt. Pluribus  
 rem omnem hanc persequutus est magnòq; studio ille  
 artis nostræ princeps Galenus. Non vno quidem ope-  
 re, sparsim tamen in plerisq; suis scriptis. Quæ inter  
 potissimum tamen huc pertinent Libri de vsu partium,  
 de facultatibus naturalibus, de natura humana, de atra  
 bile, de eo quod sanguis in arteriis contineatur. Quan-  
 quam verò ejus dogmata haud parùm abeant à placitis  
 eorum quæ ætatem ipsius præcesserunt, tam probabilia  
 tamen illa visa sunt posteris, vt plurimis post seculis  
 vix vllus contra vel mutirit. Vnus enim Auerroës

dubitare de nonnullis est ausus. Reliqui præter illa à Galeno accepta vel parùm vel nihil nos docent. Omnibus hæresi quadam ità astrictis Galeno, vt piaculam crediderint, medicinam professum vel latum, quod ajunt, vnguem ab illo maximo medico recedere: philosophum autem medico non credere in iis quæ scire maxime medicorum interest. At superiore seculo per multa à viris doctissimis sunt in controversiam vocata, multa item nova in medium proposita; quorum nihil vel in Galeno, vel in Aristotele, vel in Hippocrate vel in aliis legas. Ex eo, quæ antè longè firmissima habita, nunc per dubia, quædam fortassis & falsa esse deprehensa sunt.

In tanto autem doctissimorum dissensu quàm difficile sit veritatem inuenire, manifestum est. Et tamen interponere iudicium hic suum debet, quicumque scientiam ac veritatem profitetur. Nam recensere solum sententias sine adhibitâ censurâ, non est docere sed narrare. Nec licet hic solo antiquitatis argumento niti, quasi verissima sint citrà dubium quæ receptissima. Quantum enim in veritatis scrutinio ponderis habeat consentientium numerus, & per se notum est, & accuratè alibi à nobis est disputatum. Crescere, scilicet & hodiè ac proficere scientiæ possunt non minus atque olim. Quum enim principia scientiarum ab experienciâ dependeant, experientiam autem tempus dili-

diligensq; observatio augeat, subinde fontes novi scientiis & condendis & corrigendis aperiuntur. Quod in hoc nostro quoque argumento contigisse non mirum profectò est. Quippe quum in dissecandis atque explorandis internis hominum partibus numquam à condito hoc mundo illa fuerit diligentia adhibita, quæ cum nostræ ætatis studio possit contendere. Eapropter quantumvis arduum ac pergrave sit institutum meum, sine vlllo tamen partium sine vlllo doctorum favore progredi me jubet, cum veritatis illa & sitis & reverentia quâ teneor, tum studium publici boni, cui me sacramento astrinxi. Dissimulare enim veritatem intellectam, aut præ cuiusquam amore proderere nefas duco. Majorq; indubiè veri quàm vel calumniæ vel invidiæ habenda ratio est. Tum verò eam fiduciam concepi, neminem doctiorem æquoremq; mihi succensurum, si quæ à popularibus sensibus abhorrentia, novaq; & hætenus incomprehensa, in medium protulerim. Neque verò nomen hæresi dedi: aut anxius sum, ne si in nonnullis à Galeno dissensero Galenicus non audiam. Scio quippe eum esse verum Galeni sectatorem, qui posthabito sectæ studio non quid quis, si ve Galenus si ve Hippocrates si ve Aristoteles dixerit, attendit, sed quur & quàm verè. Ipsemet Galenus, etsi alibi Hippocratem ceu omnis boni inventorem laudet, libro tamen quod animi mores sequantur temperamentum corporis, de

*Hippocrate scribere non dubitavit : Ego huic viro ut testi non credo, sed quod certas habeat firmasque demonstrationes. Alibi & Hippocratis medicamentum in pleuritide reprehendit. Vbi vis à sese removet partium studiū, veritatis suscepto patrocinio.*

*Ceterum quantum auctoritati hominum sit tribuendum, singulari libello aliàs disputavi : Quæ autem producturus sum in mediū, illa multam lucem spero allatura artis operibus. Namq; & plurimorum morborum conditio nisi fallor, his jactis fundamentis, apertius expediri, & curandi ratio planiore ac leviore via poterit institui. Quo omnis medici de naturalibus rebus labor par est aestimetur. Nec tamen non poterunt hæc & philosophiæ inseruire. Namque præterquam quod interdum ex occasione exspatiandum latius fuerit, quæcunque de homine demonstrabuntur, illa neutiquam soli illi competunt, sed etiam alijs sunt communia. Itaq; etiam adeo latæ demonstraciones hæc omnes virtute sunt, existimo, vti & alia præter hominem multa comprehendant. Quo fit vti hæc doctrina tametsi primâ fronte, ad solum hominem videatur restricta, in recessu tamen magnam partem ejus quæ de animalium est nutritione, philosophiæ exhibeat. Adeo scilicet hæc connexa sunt, vt de homine differi rectè nequeat ab illo cui reliquorum animantium natura est incognita. Quod quoniam à multis vulgo nō observatur, nō est mirum fortassis tam*

*multis*

*multis erroribus circa hominis naturam nos vulgò agitari. Ceterùm quid nos præstiterimus, aliorum esto iudicio commissum: tempus est rem ipsam aggredi.*



*De*

# NUTRITIONE HOMI- NIS,

*LIBER PRIMVS.*

CAPVT I.

*De*

*Nutritionis variis acceptionibus.*

**N**UTRITIONIS vocabulo non unum sem- *Nutritio*  
per atque idem significatur. Nutrirī e- *multa si-*  
nim homo dicitur & quando cibum ore *gnificat.*  
accipit, & quando ultimi alimenti in  
partes corporis fit conversio. Differunt  
verò hæc multum. Fieri enim potest ut  
homo comedat quidem cibum bonum eumque in  
ventriculum demittat, in corporis tamen partes ni-  
hil ejus transmutetur, sed ἀρεσφία corp<sup>o</sup> conficiatur ac  
contabescat. Quod contingere videmus in tabe, in  
febre hectica, in alijs quam multis affectibus. Contra



etiam verum est converti alimentum in corpus humanum tum quando nihil comeditur. Scilicet sunt qui tamen si longo tempore nihil cibi acceperint, adeoque hoc modo non amplius nutriantur, videantur tamen conversione illa atque altera illa nutritione non destitui. Porro quum conversio isthæc fiat interdum cum corporis incremento, hinc & illa accretio corporis nonnunquam Nutritionis voce comprehenditur. Et tamen non eam idem esse cum illa conversione argumento est, quod conversio illa plerumque fiat sine omni incremento. Unde & ab Aristotele & Galeno & alijs vulgo plerumque nutritio & auctio ceu duo diversa considerantur.

*Nutri-*  
*mentum*  
*etiam*  
*varie ac-*  
*cipitur.* Non minus ambiguae significationis sunt voces Nutrimētū & alimentum. Primò enim cibus omnis alimentum dicitur. Secundò id quod ex cibus confit, quodq; proximè in corpus nostrum transmutatur: & quidem sive inde crescat corpus sive non crescat. Prima enim significatione omnis quæ de cibus instituitur tractatio aliàs de alimentis solet inscribi. At multi cibi parum alunt corpus aut parum illi roboris addunt.

*Voces il-*  
*lae sunt*  
*ex nume-*  
*ro earum*  
*quæ ad v-*  
*num di-*  
*gnantur.* Quanquam verò hæc ita sese habeant, non tamen mera est in vocibus illis ἰσαρρηχία. In omnibus enim illis significatis est aliquid ferè commune, propter quod isthæc vocabula de tam multis ac diversis queant prædicari. Itaque accuratè considerantibus videntur voces illæ ex earum esse numero quæ Aristoteli *περὶ ἑν,* *ἀφ' ἐνός,* *περὶ μίας* *φύσιν,* *περὶ μίας δέχου* & *περὶ τὸ αὐτὸ τὸ εἶ-* *δου*, vulgò nunc scholis analogæ secundum attributionem, nuncupantur. Quarum ea est natura, ut vox

maxi-

maximè quidem propriè unum aliquid notet; denotet tamen & alia, propterea quod illa aliquatenus atq; ordine quodã pertineant ad isthuc primum & potissimum. Quomodo sanum de homine, de medicamento, de urina, de colore prædicatur. In quibus omnibus est quidem sanè ratio multiplex; eo tamen ordine, ut propriè magis ac primariò sanum de homine prædicetur: reliqua dicantur sana quod sanitatem illam corporis vel ostendant vel tueantur. Ad eundem modum Nutritio primò magisq; formaliter videtur esse illa pereuntium partium corporis nostri continua latensq; restitutio; Alimentum quoque aut nutrimentum, id quod in substantiam corporis nostri ita proximè transmutatur. Secundariò autem Nutritio est illa præparatio cibi potusq; in propriè dictum alimentum. Quæ quasi via quædam est ad nutritionem illam primariam. Alimentum quoque secundariò est omne quod in usum veri alimenti adsumitur. etsi multum ejus abeat in excrementum, atque usum nullum præbeat. Tertio ordine Nutritio ipsam quoque auctiorem corporis: & nutrimentum, id quod in augmentum cedit, comprehendit. Fit autem hoc quoniam nulla auctio fit nisi unà cum nutritione: neque quidquam est quo possit augeri corpus, quin idem sit verum nutrimentum. Et tamen alias nutritur corpus etiam quando non amplius crescit: & nutrimentum nobis est id quo nihil capimus incrementi.

Accipiuntur autem voces illæ tam diversâ significatione per frequenter, cum à veteribus tum à recentioribus. Quapropter sæpè & pugnancia videntur dicere

dicere. Non dicunt tamen. Quod de una eademque re non loquantur semper sed modo de hac primaria modo de illa secundaria nutritione. Cujus rei exempla plurima in medium adducere facile fuerit. Sed neque instituti id ratio permittit, neque operæ videtur pretium fore. Quum hujusmodi quam difficultatem solvere ferè sit cujuslibet.

*De omni  
nutritio-  
ne homi-  
nis agen-  
dum hic  
est.*

Quoniam verò, etsi tam diversa notet nutritio atque nutrimentum, ad unam tamen naturam referuntur illa diversa omnia, manifestum est sive cui de omnium animantium, sive verò de hominis duntaxat nutritione agere propositum est, illi omnia æquè esse expedienda, quæ aut primariò aut secundariò illis vocibus denotantur, non verò solum in his aut illis commorandum. Nam ὁμώνυμα quidem ad unam scientiam minimè pertinent: quippe quæ nihil præter nudum nomen habeant commune: Analogorum tamen horum (loquar enim cum scholis nostris) quæ secundum attributionem dicuntur, longè alia est ratio. Quum enim in his omnia unius primarij non nomen tantum sed & essentiam quadammodo participant: non possunt profectò illa posteriora accuratè cognosci, illo primò incognito. Sed neque primum illud planè scitur nisi ea quæ tota sunt propter ipsum, cognoscantur. Quemadmodum nauta quid sit nequit sciri si nesciatur quid sit navigium. Observavit autem id ipsum de ijs quæ ad unum dicuntur jam dudum Aristoteles. In hæc enim verba scribit ille:

*Quemadmodum sanorium omnium una scientia est, ita est & de cæteris: ἔγδ μόνον τ̄ καθ' ἐν λεγομένων ἑπιδημῆς ἑπ̄ θεωρῆσαι μίας ἀλλὰ καὶ τ̄ πρὸς μίας λεγομένων φύσιν. καὶ γδ ταῦτα*

πῶς τὸ τροφὸν ἑκάτερον λέγεται καὶ ἓν. Non enim solum eorum quæ ad  
 unum dicuntur unius est scientia speculari, verum etiam eo-  
 rum quæ ad unam naturam dicuntur. Etenim hæc etiam quo-  
 dammodo secundum unum dicuntur. Accedit quòd tota  
 victus ratio, coctioque alimenti in corpore, ac demum  
 ejus in corpus transmutatio, unum aliquod totum  
 constituent. Quorum primum & secundum est tan-  
 quam via ad tertium ceu scopum obtinendum. Quæ  
 autem ita sese habent, illa etiam ab uno eodemque ar-  
 tifice exponi debent; nisi nimis longè abeant priora  
 illa à posterioribus. Tum enim secus fieri potius de-  
 bet. Quâ de re nunc dicendi locus non est. Cæterum  
 si & auctoritas exemplumque doctiorum valet quid-  
 quam, ut sanè valet, prævit nos hæc parte Aristoteles.  
 Ex ijs enim locis, ubi quidnam egerit in opere *περὶ τρο-  
 φῆς τῶ ζώων*, ipse profitetur, quæ magnam partem in in-  
 troductione adduximus, manifestò apparet, ab illo  
 in isthoc opere de omni prorsus Nutritione & auctio-  
 ne dictum esse, non autem de primâ tantum vel secun-  
 da solâ. Namque *l. 2. de partibus. cap. 3.* affirmat i-  
 bi actum, *quonam modo membra ex sanguine sua capiunt  
 incrementa & simpliciter de nutritione.* at c. 7. ejus d. l.  
 scribit, ad illam doctrinam pertinere & tractationem  
 de excrementis alimentorum. Quam doctrinam eò-  
 dem amandat, *l. 1. de part. c. 14.* Quarto verò de partibus c.  
 4. ejusdem doctrinæ scribit esse, quomodo animalia  
 capiant alimentum, quomodo ve illud subeat venas.  
 Eodem *περὶ τροφῆς* opere testatur alibi, agendum esse  
*quor ossa non semper capiunt incrementum.* Omitto alia  
 testimonia. Nec verò Aristoteles non idem observa-  
 vit etiam in libris de animalium generatione. Est enim

& illa vox *πολίσημ*. Ac tametsi propriè generatio animalis fiat, quum foetus producitur; dicitur tamen & pater generare, quum semen foecundum utero infunditur. Quanquam minus propriè hoc sit generare. Neque enim audiendus temerè vir doctissimus Thomas Fienus: quando libro de *foetus formatrice causa* contra communem loquendi & sentiendi usum generationem absolvi affirmat productione seminis. Cæterùm etsi tam diversum quid sit generatio, egit tamen Aristoteles uno eodemque opere, de partibus generationi dicatis utroque in sexu, de seminis ac menstruorum naturâ, de ipsâ constitutione foetus in utero, ejusque in lucem productione. Quæ omnia unum totum opus perfectæ generationis complent: omnia item generationis voce solent venire, aliter atque aliter acceptâ ejus significatione.

## CAPVT II.

*Hominem nutriri probatur.*

*Hominem alimentis vesci & crescere certum est.*

**EXPEDITA** vocum ambiguitate, quumque satis constet de omni planè nutritione hominis differendum nobis esse: consequens est ad rem ipsam venire. Ante tamen quàm de ratione nutriendi agatur, initio videndū, nutriatur ne homo nec ne, & quidem nutritione variâ, prout illa vox diversimode accipitur. Stultū enim fuerit inquirere, quomodo nutritio fiat, si nec constat an aliqua fiat. Cæterùm fortè & stultum fuerit dubitare, an homo nutriatur, si per nutritionem intelli-

telligas vel cibi potusque acceptionem quæ ore fit, vel incrementum corporis: nec minus stultum id multis probare. Stultum scilicet ferè est stultas dubitationes solvere. Nemini autem, qui sanis est sensibus, non exploratissimum est, edere hominem & bibere, & quidem necessitate quadam impellente: eundemque ex admodum parvulo in proceram usque staturam crescere. Hactenus itaque nutriri hominem extra omnem est controversiam. Quum verò nutritio primariò si- *Dubita-*  
gnificet pereuntis alicujus substantiæ aliquam, quæ *tur an*  
sensim fiat, in integrum restitutionem; fortassis haud *nutritio*  
imèritò caret dubitatione, pereantne ita sensim partes *prima-*  
corporis humani, & an sensim illæ iterum producan- *ria in ho-*  
tur, adeoque an ad illum modum homo nutriatur nec *mine ha-*  
ne. Neque enim sensibus videtur hoc æquè esse ex- *beat lo-*  
ploratum. Quin imò plebi fortè haud temerè persua- *cum.*  
seris hoc: quæ tamen aliàs non dubitat nutriri hominem, hoc est, illum edere, bibere, atque incrementum capere.

Videntur verò & rationes multæ vix admittere *Homi-*  
hujusmodi nutritionem, quòd nequaquam sit verosi- *nem non*  
mile aut sensim perire corpus, aut sensim restitui, *ita nu-*  
Quorum utrumque nutritio isthæc dicit. Principio *triri pro-*  
enim, si corpus hominis perit, aut in nihilum *batur.*  
abit id quod perit: aut vicissim in aliam aliquam par- *Arg. I.*  
tem mutatur: aut denique abit in aliquid quod nulli  
amplius est usui. Nihil autem horum factu videtur  
esse possibile. Nam in nihilum quidem nihil transit.  
Sed neque omne quod perit, in aliam partem trans-  
mutari quis dixerit. Vtpote quum ex communi sen-  
tentiâ nutrimentum ore dicitur accipi in restitutio-

nem partium. Quod utique esset falsum, si pars omnis corrupta alteri cedat in nutrimentum. Si verò in aliud quid prorsus inutile corruptio fit, aut manet illud in corpore, aut ejicitur è corpore. Si ejicitur, quando, quomodo, quâ viâ id fiet? Excerni enim non nihil quidem certum est; excrementa autem illa cibi & potus videntur esse recrementa tantùm, non partium corruptarum reliquiæ. Sed nec in corpore manet: tumeret enim corpus hujusmodi recrementis & ægro- taret. Nihil autem eorum in sanis corporibus sive vi- vis sive mortuis vel oculatissimo licet deprehendere.

*Arg. II.*

Secundò. Si sensim ita corrumpuntur par- tes, quid est quod ita illas corrumpit? Omne enim quod fit, à causâ quadam fit efficiente singula. Atqui non quælibet pars seipsam corrumpit: nihil enim agit in seipsum. Nec una pars aliam corrumpit: unitæ e- nim sunt ut integrum quid constituent. Causa verò externa non apparet, quæ intus in corpore possit par- tes illas deterere.

*Arg. III.*

Tertio. Videtur & sensibus adversari illa partium corruptio. Non enim visum est alicui vel ossa periisse, vel manum, vel caput; eaque iterum renata esse. Con- trà verò in seram usque senectutem cernimus illam fa- ciei ex. gr. conformationem manere, quæ fuit à primo usque ortu. Manent imò & vitia corporum per o- mnem ætatem. Mutatio ergò nulla fit.

*Arg. IV.*

Quartò. Fieri non potest ut maneat idem ho- mo per omnem ætatem, si partium isthæc fiat muta- tio. Constituitur siquidem homo animâ & corpo- re. Idem ergò homo est, qui animam eandem nume- rò, idem-

rò, idemque numero corpus retinet. At partibus mutatis non manet idem corpus. Ergò nec idem homo. Quo nihil dictu videtur absurdius.

Quintò. Quòd si ad eum modum corrumpuntur *Arg. V.* partes, minus benè provisum est homini quàm alicui lapidi ac metallo. Neque enim aut metallum aut lapis aliquis ita sensim corrumpitur. Quòd & sensus docent, & nemo audet negare. Melius autem provisum esse substantiæ alicui rudi & ignobili, quàm homini, contra naturæ providentiam pugnat: quæ optima optimè semper curat.

Videtur sextò & materia nulla esse, unde possint *Arg. VI.* de novo fieri partes. Sanè creditur fieri illas ex alimento quod ore capitur. At minimè se ita rem habere, inde liquet: Primò quod multi homines inveniuntur diutissimè cibo omni abstinere, pergente illâ interim, uti existimatur, latente corruptione: Deinde quòd incredibile sit ex herbis & carne bubulâ aut vitulinâ aliorumque animalium confieri corpus humanum: mutaretur enim bellua in hominem.

Ultimò. Quænam illa est caussa quæ iterum generat partes? Calorem id facere minimè est credibile: hic enim existimatur illas corrumpere. Idem autem non corrumpit simul & generat. Sine calore autem concoquente nulla effici pars potest vel ab ipsâ animâ. *Arg. VII.*

Quamquam verò hæc argumenta perquam plausibilia videantur, omninò tamen verum est hominem *Homine* tamen i-  
verè nutriri, adeoque corpori ejus sensim aliquid de *tà nutri-*  
cedere, sensim iterum renasci. Renasci autem ex ali- *ri demõ-*  
mento *stratur.*



mento ore assumpto, sed quod in corpore humano antè varias subeat mutationes & coctiones. Primò enim calorem hominis innatum igneæ naturæ ac perpetuo in fluxu esse, si quando se habet secundum naturam, adeoque perpetuò interire, perpetuò iterum renasci, aliàs ostenditur. Hunc autem ex alimento ore assumpto refici, argumento est, quòd nisi homo edat bibatque, tandem calor ille igneus intereat prorsus: quo mors hominis definitur.

Porro & sanguinem consumi ac restitui, illud docet, quòd certum sit ex alimento ore assumpto fieri sanguinem, idque quotidie; qui nisi iterum consumeretur, in ingentem nimis copiam excresceret. Quod tamen minimè fieri observamus.

Præterea & pinguedinem & carnem hanc pati vicissitudinem, liquet inde: quod dum aut cibus non assumitur, aut assumptus nò rectè coquitur, totum corpus statim emacietur, ita ut præter fibras ac vasa in muscularis partibus vix quidquam maneat. Quæ contra nitidæ & succi sunt plenæ, concoctione cibi assumpti rectè sese habente.

Aliæ partes an itidem ita pereant ac restituantur, nunc disputandi locus nò est. Satis est probâsse, hominem non augeri tantùm ex alimento assumpto, verùm revera etiam nutriri, si nò secundùm omnes, saltem secundùm aliquas partes. Potest autem breviter id etiam ita ostendi. Hominem comedere & bibere, imò appetere cibum ac potû etiam quando nò amplius incrementum ullum capit, certum est. Certû etiam est illa ore assumpta mutari. Ergò aut tota abeunt in excremen-

ta aut

ta aut mutantur ex parte in aliquid utile. Prius absurdum est: frustra enim esset assumptio cibi. Natura autem nihil frustra agit. Posterius verò si est verum, ut debet esse verum, aut manet illud vtile aut consumitur: si manet, in molem assurgeret adeoque cresceret corpus, quod est contra id quod posuimus. Si autem non manet. Fit ergò consumptio & restitutio, adeoque fit nutritio. Quod erat probandum.

Ad ea verò quæ objecta sunt, infrà quidem la-*Responsio*  
 tius respondebitur. Etiam hîc tamen quasi in ante-*ad argu-*  
 cessum id breviter ac paucis fieri, forte pretium ope-*menta*  
 ræ fuerit. Itaque in primo argumento notandum, *negativa*  
 non omne quod perit, necessum esse ut pereat transf- *Ad I.*  
 mutatione quadam secundum substantiam, sed non-  
 nunquam quid perire mutatione locali, dum evanes-  
 cit, nec manet ubi esse debebat. Notandum deinde,  
 non esse absurdum: aliquam saltem partem in ali-  
 quam aliam transmutari. Pinguedinem enim ita  
 abire identidem in alimentum corporis, aliàs proba-  
 bitur. Nec tamen nos asserimus id fieri & de alijs.  
 Quapropter fatemur mutari quasdam partes corpo-  
 ris nostri inque inutile quid abire. At recrementa  
 illa dicimus rejici ex corpore partim per alvum, par-  
 tim per vesicam, partim per cutis spiracula, partim  
 per alios meatus. Nequaquam enim verum est per  
 alvum & vesicam sola ciborum recrementa rejici.  
 Quod argumentum illud volebat.

Secundum argumentum rectè dicit: quod cor- *Ad II.*  
 rumpitur, ab externâ corrumpi causâ. Iterum au-  
 tem

tem observandum, non fortassis omne quod perit adeoque indiget restitutione, corrumpi, sed & evanescere non nihil suapte sponte. Quod fortè fit circa calidum nativum. Ignis enim avolat & in auras evanescit ingenitâ levitate. Fatemur tamen corrumpi sensim nonnullas corporis partes. Corrumpit autem calor nimius, qui partibus quas corrumpit externus est, etsi non sit extra totum corpus. Etsi verò ignis nativus cum alijs partibus sit unitus, non tamen ita est unitus, ut in partes agere nequeat. Multa enim sunt unita in unum corpus, nec tamen omni ex parte unum sunt. Aliud scilicet vnum est, aliud simplex. Quoniam hoc omnem excludit dissimilitudinem; illud non.

*Ad III.*

Quod tertio loco allatum est: non visum esse manum aut caput periisse iterumque renatum: verum sanè est. At hinc deduci nihil contra propositum potest. Nam sensim & occultè diximus fieri aliquam partium nonnullarum corporis tum interitum tum regenerationem. Imò ut occultè id fiat, nutritionis naturam exigere confessi sumus. Dum verò sensim non nihil perit, tantundem verò sensim restituitur, tandè totum novum reddi potest, vt mutationis momentum tamen lateat. Quomodo flumen Albis videtur semper idem esse, qui tamen semper in Oceanum exoneratur aliquâ sui parte, alibi æquali portione affluente.

*Ad IV.*

Porrò fatemur & nos, hominem qui ita nutritur, non prorsus omniq̄ue ex parte ita unum eundemq̄ue manere, sicut illud semper idem est quod nullam subit mutationē. At verò inde nõ sequitur, nullo modo i-

do idem corpus remanere, quod ita mutatur. Sunt enim multæ unitatis atque idemtitatis species, multæ differentia. Quâ de re infra latius dicetur. Patet autem vel ex his paucis quid ad quartam objectionem sit respondendum.

Præterea etsi diutius possint superesse lapides quàm *Ad V.* animalia aut homo, minusque illi sint corruptioni obnoxij, quod nos largimur: nequaquam tamen hinc colligendum est, minus ergo bene prospectum esse hominî quàm lapidi. Quod quinto argumento urgebatur. Non enim diuturnitate metienda perfectio rerum est, sed agendi virtute. Sanè vincit lapis corpus humanum durabilitate: longè tamen superatur lapis ab homine nutriendi seipsum, sentiendi, intelligendi que facultate. Omnia uni largiri noluit natura. Nec exre fuit. Quod demonstrare latius hujus loci non est.

Ulterius nec sexta objectio magnum pondus habet. *Ad VI.* Quod enim ultimo ceu absurdum habebatur, carnem bubulam in humanam mutari, absurditatis habet nihil. Ea enim est conditio transmutationis naturalis, uti & ex terrâ fiat humanum corpus & in terram vicissim resolvatur. Quod si caro humana ex bubulâ per separationem fieret, fateor haud parum absurda possit videri meritò hæc sententia. Lateret enim in carne bubulâ caro humana: atque adeò bos circumferret quodammodo hominem. Nos verò nequaquam assentimur illi Philosophiæ, quasi generatio omnis per secretionem fiat; etsi & veterum multi ita senserint & non pauci ex recentioribus idem profiteantur. Potentiâ tantùm dicimus carnem bubulam carnem humanam esse, quomodo lapis & calx potentiâ domus est, aqua potentiâ glacies. Fit ergò ex carne bubulâ caro

E

huma-

humana per transmutationem ex materiâ. Cujus naturam libro de Principijs rerum naturalium clarius expedivimus. Sed nec etsi multi longo tempore cibo abstineant, concludere hinc licet, materiam nutritioni partium deesse. Fortè enim tum nulla fit nutritio. Quod opinatur Fortunius Licetus *tertio libro prolixo operis, de his qui diu vivunt sine alimentis*. Cui licet opponat sese Daniel Sennertus *3. libro practicæ medicin. sect. 2. c. 2.* reapsetamen idem sentit, ut infra disputabitur. Si verò ne tum quidem cessat nutritio innati ignis, quod probabilius fortè videtur, suppetit materia illi igni tempore inediæ, modò ex pinguedine resolutâ, modò ex alijs partibus colliquatis, (quo alimento in febribus calorem diu conservari aliàs demonstrabitur) modò denique ex potu assumpto. Quâ de re quoniam infra multis disputabitur, non est nunc dicendi locus.

Ad VII.

Caussa, postremò, quæ regenerat partes corporis absumptas, instrumentalis quidem est calor innatus qui & corrumpit. Sanè idem quoad est idem in uno eodemque subjecto non est contrariorum caussa. Fieri tamen potest ut unum idemque duo agat contraria. Generat scilicet idem calor & corrumpit; at non ità sese habent partes respectu caloris dum primum natæ sunt ac diu post. Itaque nihil obstat quominus alio tempore à calore conserventur, alio corrumpantur. Verùm quoniam & hac de re iterum est differendum, accuratiusque exponendum quæ partes ità nutriantur, quæ non, quomodo ve isthæc fiat nutritio; non est quur his amplius hîc immoremur. Vel ex his paucis tamen non difficile est videre, quam procul istæ objectiones à vero absint.